

CODICES ORIENTALES GUELFERBYTANI

No. 1. 2.

- No. 1. *Mosis Maimonidis* explicatio 248 praeceptorum adfirmantium, hebraice. — Est Tomus II operis majoris, in cujus tomo priore tractantur 365 praecepta negantia. — Cod. membr. in fol. magno, ternis columnis exaratus, Augusto duci a. 1665 dono oblatum a Jeremia Jacobo, Judaeo Halberstadensi (A. 4. Ms. Aug. Fol.). — Cf. Hirschingii *Biblische Geschichte*, IV, 114 sq. Videtur hic codex esse pars posterior operis celeberrimi, *Jad chasaka*, continens libros ejus 7—10. Non dubium est, quin sit volumen posterius ejus exempli, cujus volumen prius, item ternis columnis scriptum, exstat Norimbergae in Bibliotheca Dilherriana. Vid. de Murr, *Memorabilia Bibliothecar. Norimberg. T. II. p. 3 fs.*
- 2. *Quatuor evangelia*, syriace, charact. Estrangelo conscripta. Cf. de hoc codice, quem Athanasius Kircherus d. 19 Mart. 1666 Augusto duci dono obtulit, Burckhardi *Hist. Bibl. Aug. T. I. p. 133 sq. 236 sq. 242. it. Annales litt. Helmstad. 1782. Vol. II. p. 1—6.* Continet praeter textum evangeliorum nonnullas perbreves glossas marginales, modo arabica modo syriaca lingua conscriptas, et in fine indices, qui exponunt, quo tempore, die festisque evangelia recitari debeant. Textus Evangelicus Kircheri teste ubique consentit cum illo, qui in bibliis polyglottis Antwerpianis habetur. Fol. 5^a (a fine) haec leguntur, quae annum scriptio- nis indicant, et ex adjecta Kircheri interpre- tatione h. l. repetuntur:

No. 2.

Anno 945 die 24 Decembris descriptus fuit liber iste sanctus Matthaei, Marci, Lucae, Jo- hannis. Sunt in eo lectiones omnium festorum anni aliorumque ordinum et variorum indicum ex antiquis exemplaribus descriptus. (sic) ope Dei et SS. martyrum.

In jejunio puro et benedicto id est in qua- dragesima tempore S. Joannis patriarchae sedis apostolicae Antiochenae et in beatitudine die- rum S. Thomae episcopi nostri in domo ma- gnorum nostrorum, domo dei, in ejus nomi- nis honorem sacra fuit, finitus fuit liber iste, ut eo deus manifestet nomen suum, et dignos faciat fideles suos, ut cognoscant et lucrentur vitam aeternam, juxta illud: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domi- ni tui.

Qui legerit hunc librum orate (sic) apud dominum pro Jacobo, filio Gedeonis, et pro Maria uxore ejus et pro Gedeone filio ejus, ut ipsos Jesus conservet. Oret pariter pro presby- tero ecclesiae S. Sergii in vico Hog ut conser- ventur.

Hic igitur liber sanctus 4 evangeliorum Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, diligenter conservatus fuit, et posuerunt in eo lectiones sollicitudine et potestate magna, cum indice et anno supra scripto, excellens propter verbum dei, editus a presbytero et abbate S. Sabae cujus habitatio est in Bethali prope Da- mascum.